



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Dispv. VII. De vnitate huius sententiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

Conclusio est affirmans. Eam verò, & rationem, qua vtitur S. Thomas, sequenti disputatio-
ne examinabimus.

DISPUTATIO VII.

De vnitae huius scientie.

Theologiam nostram non esse vnam scientiam sentit Duran. c. 1.

Verior, & magis communis opinio. c. 2. Confirmatio precedens opinionis ex Caietano, & S. Thoma. c. 3.

Vera explicatio & definitio posterioris sententiae. c. 4. Quomodo Theologia vrasur principijs naturalibus cum sit vna scientia, cap. 5.

CAPVT I.

Theologiam nostram non esse vnam scientiam sentit Dur.

Præiens controuersia non est, an Theologia sit vna simplex qualitas: hæc enim quæstio de quocunque habitu, & scientia esse potest: sed an in ratione scientiæ ita habeat vnam rationem specificam sciendi, vt etiam si non sit simplex qualitas, ordine tamen ad vnam specificam rationem obiecti, vna scientia dicenda sit. Nam quanuis multi censeant philosophiam, vel aliam naturalem scientiam non esse vnam simplicem qualitatem: nullus tamen negat, esse vnam scientiam secundum speciem in ratione, & modo sciendi. Deinde controuersia hæc locum habet, siue dicamus Theologiam esse vere scientiam, siue solum fidem, aut opinionem: vtroque enim modo assensus conclusionum generatur per discursum. Est igitur difficultas, vtrum sit vnus secundum speciem modus inferendi conclusiones: hoc enim est quætere, vtrum sit vna scientia.

Circa quæstionem sic intellectam prima sententia sit Durandi: qui in q. 4. Prologo docere videtur, Theologiam non tantum non esse vnum habitum, sed etiam non esse vnam scientiam: asserit enim, esse plures habitus de distinctis obiectis, & per distincta media. Numero autem 5. eiusdem quæstionis, vt explicet de qua Theologia loquitur, inquit, trifariam accipi, hoc est tres habitus posse dici Theologiam. Primus est fidei infusæ, qui circa principia versatur: secundus, & tertius circa conclusiones Theologicas: alter est ad defendendum, alter vero ad deducendum eas ex articulis fidei. Putat enim Dur. quæst. 1. Prol. nu. 7. Theologiam accipi pro fide infusæ: imo vero nu. 8. dicit magis communiter, sed non tam vere vsurpari pro habitu conclusionum: sic ergo Theologiam in vniuersum, dicit esse plures scientias, non vnam. Supponit enim ex quæst. illa 4. Prol. n. 4. cum quæritur, an Theologia sit vna scientia, non esse quæstionem, de scientia proprie dicta; sed, vt extenditur ad fidem, opinionem, & quecumque assensum. Sic autem intellecta opinio Durandi vera est, quatenus dicit Theologiam in vniuersum, includendæ fidem infusam, & habitum conclusionum, non esse vnam scientiam. At verò præsens controuersia solum est de Theologia quatenus ponitur peculiaris facultas circa conclusiones: & hoc modo Durandus planè fatebitur esse vnam scientiam inferendi conclusiones ex præmissis, nisi quod peculiarem alium quandam habitum esse asserit ad defendendæ mysteria, quæ fide infusa creduntur, quem etiam appellat peculiarem scientiam.

Sensu quæstionis.

Duran.

Theologia trifariam potest accipi.

CAPVT II.

Verior, & magis communis opinio.

Posterior sententia est omnium Scholasticorum, quos ego legi: ex quibus, licet aliqui dicant Theologiam non esse vnam simplicem qualitatem, omnes tamen affirmant esse vnam scientiam in modo inferendi conclusiones, siue dicatur scientia proprie, siue latiori significatione. In hac sententia sunt S. Thomas, Caietanus, & recentiores Thomistæ in hoc art. Albert. in Sum. tract. 1. quæst. 3. memb. 2. & in 1. d. 1. art. 3. Henricus in Sum. art. 6. q. 3. Ægidius 2. p. Prol. q. 2. Ricardus q. 3. Qui etiã supponere videntur, aut saltè nõ negant, esse vnam simplicem qualitatem. Cum his conueniunt Marfil. q. 2. Prol. art. 4. Okam q. 3. principali, quæstioncula annexa, quæ ordine est octaua, additis etiam solutionibus argumentorum, Gre. q. 3. præsertim a. 3. qui asserunt non esse vnam simplicem qualitatem, esse tamen vnam scientiam Gabriel vero q. 8. Prol. solum docet Theologiam esse plures habitus, si includamus fidem acquisitam/intelligit autem circa articulos fidei, qui assumuntur, vt principia in hac scientia, & habitus acquisitos tam circa propositiones, quam circa consequentias. Sed an sit vna scientia sicut Geometria, vel philosophia non definit. Cæterum non omnes citati Doctores hanc sententiam eodem modo confirmant.

Theologia in modo inferendi est vna scientia. S. Thom. Caiet. Thomistæ Albert. Henric. Ægid. Ricard. Marfil. Okam.

3. Greg. Gabriel.

CAPVT III.

Confirmatio precedens opinionis, ex Caiet. & S. Thoma.

Sanctus Thomas ea ratione probat, Theologiam esse vnam scientiam; quia omnia, quæ in sacra scriptura, & in sacra doctrina tractantur, subeunt eandem rationem formalem diuinæ reuelationis: vnitas autem scientiæ, non ex vnitae obiecti materialis, sed formalis, desumitur. Quocirca si aliqua scientia plura obiecta materialia sub eadem ratione formali consideret, erit vna, & eadem. Sic etiam de vnitae potentiæ docet S. Thomas: adducit verò exemplum visus: qui quanuis versetur circa varias res, puta circa hominẽ, & equũ, ideo est vna facultas videndi; quia illæ omnes conueniunt in vnam rationem obiecti formalis visus, scilicet colorati. Ratio hæc si rectè explicetur optima est: eam tamen Caietanus, & recentiores Thomistæ, mea quidem sententia, alio modo, quàm S. Thomas, intellexerunt.

S. Thomas Ratio S. Thomæ. Vnitas scientiæ ex obiecto formali iumentalis est.

4.

Caietanus igitur in hunc art. notat, dupplicem esse rationem obiecti: alia est, inquit, ratio quæ, nimirum ipsa entitas rei, quæ est causa passionum eiusdem, & assumitur, vt medium in demonstratione; sicut entitas in metaphysica, quantitas in mathematica, &c. Alia vero est ratio sub qua, nimirum abstractio, seu immaterialitas obiecti: veluti abstractio à materia sensibili, & intelligibili in metaphysica, à materia sensibili tantum in mathematica, &c. Et hæc dicitur ratio formalis obiecti, non vt res, sed vt obiectum est. Priori constituitur obiectum in genere rei, posteriori vero in genere scibilibum: sicut obiectum visus, scilicet color, est sub duobus generibus, & in genere passibilis qualitatis, cuius species sunt odor, sapor, color, & sonus; & in genere scibilibus, cuius species sunt visibile, audibile, &c. Arque harum differentiarum non sunt reales in ipsis obiectis: sed denominationes

Caietanus Explicatio prædictæ rationis ex Caiet. & Thomistis. Ratio que est sub qua obiecti scibilia.

nationes tantum extrinsecæ: cum tamen differentia prioris generis reales sint. Sicut ergo (inquit Caietanus) distinctio sensuum inter se, & vnitas cuiusque non attenditur secundum distinctionem, vel vnitatem obiecti in genere entis realis, & passibilis qualitatis; sed in genere sensibilibus; & ideo potest vna facultas sentiens versari circa plura obiecta in genere qualitatibus, vt visus circa album, & nigrum, &c. Quia habent eandem rationem obiecti sub qua, hoc est, in genere sensibilibus: sic etiam distinctio scientiarum, & vnitas cuiusque non debet desumi ex vnitate, & pluralitate obiectorum in genere entis, sed in genere sensibilibus, & speculabilibus. Merito igitur à S. Thoma dicitur Theologia dicitur vna scientia, quod omnia, quæ tractat, habeant vnica rationem, non sane in genere entis, sed in genere sensibilibus; nimirum diuini luminis reuelationem. Hæc doctrina Caietani mirum in modum probatur recentioribus, quæ tamen testimonio, & ratione Arist. facile confutari potest.

Aristoteles 5. metaphys. c. 15. ex professo docet, scientiam non referri ad scibile, vt scibile est; nec visum ad visibile, vt visibile est: sed scientiam terminari ad rem ipsam, quæ scitur, & visum ad colorem, aut quid aliud, hoc est, ad lumen: & hoc modo debere definiti. Probat autem, quia aliquando idem bis diceretur, hoc est, esset inutilis quedam repetitio, & circulus: definitum enim ingrederetur definitionem, vt fufus ostendit, disp. 1. q. 4. c. 2. Id quod alia quoque ratione confirmari potest. Quoniam prius est scientiam terminari ad rem scitam, vt obiectum, quam quod res denominetur scibile. Ex eo enim aliquid scibile dicitur, quia scientia illius esse potest. Est enim hoc relatiuum, scibile, eorum, quæ teste Arist. eodem c. dicuntur ad aliud, ex eo, quod alia sunt ad ipsa, ac proinde non recipiunt, sed solo nomine sunt ad aliud, vt loco etiam citato ostendimus. Prius ergo scientia habet respectum ad rem, seu obiectum, quam illud dicatur scibile. Et idem de visu, & visibili, & de quavis alia facultate, & obiecto illius dicendum est: ergo habitus scientiæ, aut facultas aliqua non habet vnitatem specificam ex ordine ad rem, sub illa ratione, quæ dicitur sub qua, & est extrinseca denominatio; sed ex habitudine ad rem ipsam, & obiectum secundum quidditatem, & naturam illius. Quare Sanctus Thomas in hoc art. cum dixit, visum sumere speciem non ab obiecto materiali, sed à formali; per materiale, non intellexit colorem, & per formale denominationem visibilibus; sed per materiale, intellexit substantias ipsas colore delibatas, vt hominem & equum; per formale verò rationem coloris, quam obrem Theologia nostra non eo erit vna scientia, vel habitus, quod omnia, quæ considerat, induant vnica rationem reuelationis aut scibilis: hæc enim denominatio iam supponit vnitatem in ipso habitu, & scientia à qua prouenit.

At dicat aliquis pro Caietano, rationem illam reuehant in obiecto Theologiæ, non esse denominationem ab ipso habitu Theologiæ, sed à lumine fidei infusa, vel à diuina reuelatione exteriori. Sic autem tollitur omnis circulus, & repetitio: quia prius est rem esse à Deo reuelatam, quam scientiam Theologiæ circa illam versari, prout reuelata est: & ita habere poterit rationem formalem obiecti speciem tribuentis. Cæterum doctrinam

Vasquez in 1. part. Tom. 1.

Caietani hoc modo defendi nequit. Tum quia ipse generatim docet speciem scientiæ sumendam esse ex obiecto sub formali ratione, & denominatione scibilis, & speciem visus à calore sub ratione visibilis, & sic de aliis. Idem igitur sentit de Theologia, videlicet speciem eius sumendam esse ab obiecto sub denominatione scibilis: contra hoc autem pugnat ratio superius facta. Tum etiam reuelatio Dei exterior, aut interior per fidem infusam, tantum versatur circa articulos fidei, qui assumuntur in Theologia, vt principia: non autem circa conclusiones, prout à nobis deducuntur per discursum. Theologia autem habet suam vnitatem ex conclusionibus, vt colliguntur ex principiis: ergo ratio reuelationis non potest tribuere vnitatem Theologiæ nostræ. Et quamuis conclusionibus Theologicis semel deductis per discursum, etiã fides diuina in nobis præbeat assensum, vt disput. 5. cap. 3. diximus: prius tamen est deduci conclusiones, quam illis assentiri fide infusa: ergo prius, quam credantur, in illis debet esse aliquid, ex quo vnitas, & species Theologiæ desumatur.

CAP. III.

Vera explicatio, & defensio posterioris sententiæ.

DVas alias rationes afferunt ceteri Doctores commemorati, quæ hanc sententiam optime comprobant. Prior est Henrici, Alberti, Ricardi, & Matilij, qui dicunt, Theologiam nostram eo esse vnica scientiam, quod omnia, quæ in illa tractantur, ordinem habeant ad vnum subiectum, quod appellant attributionis, non prædicationis, nempe Deum: licet enim omnia, quæ tractat Theologia, nequeant de Deo prædicari: omnia tamen per respectum ad ipsum, vt ad finem, & auctorem Theologia considerat. Sic enim de Deo disputat, vt ostendat non solum qualis in se sit, sed etiam quomodo sit finis consequendus à creatura rationali, quomodo sit auctor omnium per creationem, quomodo se communicauerit per vnionem hypostaticam, & reliqua. Ob eandem etiam rationem tractat Theologus quæ pertinent ad materiam de gratia, & de Sacramentis, & ad disciplinam moralem, vt ostendat, quibus medijs, & auxilijs homo suum finem consequi possit: quibus etiam ab illius consecutione impediatur. Fieri ergo nequit, inquit Henricus, quin Theologia nostra sub hac ratione, tam varia considerans, non sit vna scientia.

Posterior ratio est S. Thomæ, quæ etiam indicat Henricus in hunc modum. Omnia, quæ tractat Theologia, sub vna ratione formalis obiecti considerat, sed vnitas scientiæ sumitur ex vnitate rationis formalis in obiecto: ergo Theologia nostra est vna scientia. Hæc verò ratio formalis obiecti non est, quam intellexit Caietanus, vt satis probatum manet: sed quemadmodum medium demonstrationis in quacunque scientia dicitur ratio formalis sciendi reliqua, sic in Theologia medium, & principium, quod assumit ad inferendas conclusiones est obiectum formale ipsius, & cetera sub eo respectu à Theologia considerantur. Hoc etiam patet idem S. Doctor. 2. 2. q. 1. art. 1. obiectum formale fidei diuinæ, dixit esse primam veritatem, hoc est (vt ibidem explicabimus) testimonium primæ veritatis, cui quasi medio, & principio credendi, fides innititur. Quia igitur Theologia nostra in omni discursu

8.
Prima ratio.
Henrici.
Ricardi.
Alberti.
Matilij.
Subiectum attributionis in Theologia.

S. Thomæ.
Posterior ratio.

discursu Theologico assumit vt principia ea, quæ credit esse à Deo reuelata, quatenus credit reuelata esse, ideo eadē secundū speciem est ratio obiecti formalis, seu mediū demonstrationum Theologicarū. Quocirca Theologia merito dicitur esse vna scientia. Hoc autem verum est, siue dicamus assumi in demonstratione Theologica principia credita fide infusa, ex solo testimonio primæ veritatis, siue tantum credita fide humana, & acquisita: vtroque enim modo semper credimus esse à Deo reuelata; vtroque ergo modo vna erit secundum speciem conclusio Theologica ex ipsis deducta.

CAPVT V.

Quomodo Theologia vtatur principiis naturalibus, cum sit vna scientia.

Quod sit mediū in demonstratione Theologica.

10. **T**heologia nostra interdum assumit in suis demonstrationibus aut certis syllogismis aliqua principia naturalia, quæ ideo credit esse Dei doctrinam, quod naturali ratione euidenter nota sit, hæc tamen sola non assumit, sed simul cum altero articulo sola reuelatione noto. Verbi gratia, vt probemus peccata homicidij, & fornicationis explicanda esse distincte in confessione, assumimus hoc principium reuelatum. *Omnia peccata moralia distincte explicanda sunt in confessione.* Deinde subsumimus ex philosophia morali: *Sed occidere est distinctum peccatum à fornicatione.* & colligimus, Ergo distincte debet explicari. Quamobrem, vt defendamus Theologiam esse vnam scientiam dicendum est, ad eam non pertinere disputationem de materia omnino morali, quæ ex principiis solum naturalibus elicit conclusiones, hoc enim genus demonstrationis habet diuersa principia, & colligit euidentes conclusiones. Debet igitur Theologia nostra, vt sit vna scientia, semper assumere aliquod principium reuelatum, & alterum solum naturale. Quare ex hac parte existimo Theologiam subalternari philosophiæ morali, non simpliciter, hoc est non in omni demonstratione; sed ex parte: quia ad aliquas solum conclusiones, quasdam præmissas assumit probatas in ipsa morali philosophia: Cumque non sint de eodem obiecto, vt constat, nihil videtur deesse, ex hac parte ad rationem perfectæ subalternationis.

Theologia semper debet procedere ex aliquo principio reuelato.

Theologia quomodo sit subalternata philosophiæ morali.

11. Quomodo, & cur moralia in Theologia tractentur.

Rogabit aliquis, cur ergo tam diffuse tractantur in Theologia, quæ ad moralem pertinent, ex principiis solum iuris naturalis, & ciuilibus? (nam quæ propria sunt iuris canonici, Theologica videtur.) Respondeo, ad Theologiam, quatenus est scientia distincta ab aliis, hæc moralia non pertinere: quocirca quoad illam partem non tantum erit distinctus habitus, sed etiam diuersa scientia. Nihilominus tamen Theologi nostri iure optimo de his rebus tractant; quod oportet virum Theologum, esse quoque moralem philosophum, vt sua Theologia aliis prodesse possit. Ex quo etiam factum est, vt philosophia moralis in ea parte Theologia, quæ ad moralem pertinet, exactius tractata, & magis illustrata fuerit, quam à philosophis: atque adeo multa nostri Theologi fide adiuti supra Aristotelem, aliosque philosophos adinuenerint, vt nihil iam, quod ad moralem pertineat, desiderari possit. Denique obseruandum est, cum dicimus, Theologiam esse vnam scientiam, intelligendum esse quatenus colligit ex principiis certis, & per certas consequentias suas conclusiones. Nam qua-

tenus in opinionibus versatur, vel ex principiis solum probabilibus, vel per consequentias solum probabiles arguetur, non solum non est idem habitus cum Theologia, quam diximus esse vnam scientiam, sed neque est eadem scientia cum illa: quia non habet idem genus aut principium, aut argumentationum. Ad hæc negare non possumus, multa à Scholasticis disputari, quæ ad Theologiam, vt est vna scientia, non pertinent.

Supererat explicare, quomodo facultates, & potentia speciem sumant ab obiecto suo in genere rei considerato, cum contingat, non esse vnam rationem vniocam obiecti in genere rei. Hac enim ratione Caiet. recurrere videtur ad rationem sub qua, quæ eadem diuersis rebus in genere rei aliquando conuenit: vt superius explicatum est: dico ergo breuiter, necessariam non esse ad specificationem alicuius potentia, rationem vniocam obiecti in genere rei, neque genericam, neque specificam; sed eo tantum vnam potentiam ab alia specie distingui, quod versatur circa distinctum obiectum sibi adæquatum. Dico autem adæquatum omne illud, quod potentia operatione sua completi potest: sicut visus habet lumen, & colorem. Neque obstat, vt aliquid dicatur obiectum adæquatum vnius potentia, quod ab alia etiam respici possit: quia adæquatum illud est, quod totum, & nihil aliud potentia comprehendit; illud autem quod est vni adæquatum, alteri potest esse non adæquatum. An verò aliquid aliud ad rationem adæquati requiratur, sequenti disputatione dicemus.

12. De specificatione potentiarum ab obiecto.

Ex obiecto adæquato sumenda est vniocam potentiam.

ARTICVLVS IV.

Verum Sacra doctrina sit scientia practica.

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod sacra doctrina sit scientia practica. Finis enim practica est operatio, secundum Philosophum in 2. Metaph. Sacra autem doctrina ad operationem ordinatur, secundum illud Iacobi 1. Estote factores verbi, & non auditores tantum: Ergo sacra doctrina est practica scientia.

4. Infra ar. 5. c. Et 1. Prob. art. 3. q. 1.

Text. 2. 10. mo 3.

2. Præterea Sacra doctrina diuiditur per legem veterem, & nouam. Lex autem pertinet ad scientiam moralem, quæ est scientia practica: Ergo sacra doctrina est scientia practica.

Sed contra, omnis scientia practica est de reb. operabilibus ab homine, vt moralis de actibus hominum, & ædificatiua de ædificiis: sacra autem doctrina est principaliter de Deo, cuius magis homines sunt opera: non ergo est scientia practica, sed magis speculatiua.

Art. pract.

Respondeo dicendum, quod sacra doctrina (vt dictum est) vna existens se extendit ad ea, quæ pertinent ad diuersas scientias philosophicas propter rationem formalem, quam in diuersis attendit: scilicet prout sunt diuino lumine cognoscibila: vnde licet in scientiis philosophicis alia sit speculatiua, & alia practica; Sacra alia

tamē doctrina cōprehendit sub se vtramque, sicut & Deus eadem scientia se cognoscit, & ea, quæ facit. Magis tamen est speculativa quam practica: quia principalis agit de rebus divinis: quia principalis humanis: de quibus agit secundum quod per eos ordinatur homo ad perfectā Dei cognitionem, in qua æterna beatitudo consistit.

Et per hoc patet responsio ad obiecta.

Conclusio, & summa totius articuli est, Sicut Dei scientia, qua se, & alia cognoscit, simul est practica, & speculativa. sic etiam est Theologia nostra; præcipue tamen est speculativa; quia principalis de Deo, quam de aliis rebus tractat.

DISPV. TATIO VIII.

Vtrum Theologia nostra sit practica, an speculativa.

Sententia Scoti, cap. 1.
Dua alie opiniones, quas refert Durandus, cap. 2.
Quid sentierit Henricus, cap. 3.
Sententia Durandi cap. 4.
Notationes pro verioris sententia explanatione. cap. 5.
Explicatio verioris sententia cap. 6.

CAPVT I.

Sententia Scoti.

Doctrina S. Thomæ in hoc articulo non tantum vera est, sed intellectu etiam facillima esset, nisi Caietanus, & recētiores aliqui nimia subtilitate obsecuroretā reddidissent. Sed neque in hac re tanta opus esset concentratione, nisi reliqui Scholastici putantes questionem maioris esse momenti, tot, tamque varia docuissent. Cum quibus omnibus libenter disputationem prætermitterem, nisi hoc potius videretur effugium, quam studium vitandæ prolixitatis. Examinandum ergo est, vtrum hæc nostra Theologia sit practica, an speculativa. In qua questione de praxi, & speculatione obiter quoque disserendum est; ex his namque colligitur, quæ sit facultas practica, & speculativa: sed more solito opinionēs aliorum præmittamus.

Prima autem sententia sit Scoti, qui q. 4. Prolog. §. ad questionem igitur respondeo, & §. Secundus articulus, duo docet: alterum est, Theologiam, ea etiam parte, qua circa Deum, & veritates necessarias versatur, in nobis quidem esse scientiam practicam: in Deo autem esse omnino speculativam. Alterum est, Theologiam ea parte, quæ versatur circa veritates contingentes, si sint opera nostra, in nobis quidem esse practicam, in Deo vero circa omnes veritates contingentes esse speculativam. Vtriusque assertionis præcipuum fundamentum, est definitio praxis, quam ipse tradit in ea questione §. Dico igitur primo, in hunc modum, Praxis est actus alterius potentie, quam intellectus, naturaliter posteriori intellectu, natus elici conformiter rationi recte, ad hoc, ut sit actus rectus. Omnia verò explanatione, quam ipse Scotus prolixè adhibet; ex hac definitione colligit, praxim in vniuersum esse actum voluntatis elicitem, vel imperatum: hic enim solum naturaliter posterior est intellectu, & tanquam regulam respicit ipsam rationem.

Vasquez in 1. part. Thom. 1.

Ex hoc principio probat Theologiam in nobis, tam quæ versatur circa Deum, quam illam, quæ versatur circa nostras operationes, esse practicam: quia habitus ille practicus est, cuius actus est verè practicus: huiusmodi est actus Theologiæ circa has omnes veritates: ergo habitus etiam erit practicus. Actum verò Theologiæ practicum esse probat: quia illa est cognitio practica, quæ est naturaliter prior, & suapte natura cōformis est: potest recte voluntati, quam dixit Scotus esse praxim. Illa enim est cognitio practica, quam consequitur praxis: realis autem est cognitio Theologica, etiam ipsius Dei secundum se: mouet enim affectum, vel circa ipsum Deum, vel circa alia obiecta virtutum, de quibus agit: qui affectus, etiam sine actu exteriori imperato, est praxis, ex definitione posita. Hac eadem ratione debet concedere Scotus, visionem clarā Dei esse practicam, quia eam naturaliter consequitur amor conformis rectæ rationi.

Ratio Scoti pro priori parte sua sententia.

Probat deinde Theologiam in ipso Deo, quæ est scientia sui, & creaturarum, non esse practicam: quia licet eam sequatur dilectio, illa tamē non est regula rectæ voluntatis in Deo: eo quod voluntas Dei ex se, non ex ordine ad rationem rectitudinē habeat, ac proinde voluntas in Deo non erit praxis; quia non est natura sua conformis rectæ rationi; sed ex se ipsa rectitudinem habet. Cum Scoto ex parte cōuenit Bassolis in q. 8. Prolat. 2. asserit enim Theologiam non solum ipsius Dei de se ipso, sed etiam quam Beati habent de Deo per clarā ipsius visionem, non esse practicam; alia tamen ratione, quam Scotus id docet. De Theologia quidem, quam Deus habet de se, probat suam sententiam; quia ad rationem practicæ cognitionis necessarium est, ut moueat ad praxim ex affectu, qui præcedat circa finem: id autem non facit Theologia, quæ Deus, & Beati habent: quia illa prior est omni voluntate circa finem; ergo non est practica: Ex quo è contrario infert, Theologiam viatorum practicam esse.

Ratio pro altera parte.

Cum Scoto ex parte conuenit Bassolis.

Ceterum, quamuis quæstio potius de verbis, quam de re esse videatur; sententia, & modus loquendi Scoti non placet. Neque enim vnicuique licet pro libito nomina rebus imponere, etiam si in re ipsa explicata nihil contineatur absurdum: praxis ergo, & practicum, illud debet ab omnibus appellari, quod Græci philosophi, præsertim Arist. vim ipsam Græcarum vocum optimè intelligentes, exprimere voluerunt; cum ergo infra probatum fuerit ex Arist. aliud dici praxim, aliud etiam practicum, quam appellauit Scotus, constabit etiam, absque fundamento Scotum ita fuisse locutum. Interim tamen addendum est id, quod etiam infra q. 14. a. 16. notabimus; videlicet nullius momenti esse rationem, propter quam ipse docuit, scientiam, quam Deus habet de se ipso, aut de rebus, non esse practicam. Quod enim voluntas Dei non habeat, ut regulam primam, suam cognitionem, conuenit etiam cuique creatæ voluntati, ut ostendam 1. q. 19. ar. 3. Prima enim regula bonitatis, & malitiæ per consonantiam, vel dissonantiam, non est dictamen rationis, sed ipsamet natura rationalis; dictamen verò rationis est proxima regula proponens, & iudicans id, quod consonum, & dissonum est naturæ rationali; nihil autem obest, quo minus eodem modo in Deo ita esse dicamus; ergo si in nobis ea scientia, quæ mouet affectum ad dilectionem rectam, ex sententia

Impugnatur Scoti sententia.

C 2 Scoti;

Scot. Theologia in nobis, quo modo practica sit secundum Scotum, non in Deo.

Quia sit praxis secundum Scotum.